

CARMELITARUM REGULA ET ORDO DECURSU XIII SAECULI

Legenti antiquiora scripta carmelitica quae inde ab ineunte saeculo XIV de originibus carmeliticis tractant,¹ liquido apparet saeculum XIII periodum luctae pro ordinis existentia fuisse. Ista enim scripta vix non omnia agunt de ordinis antiquitate et de multiplici eiusdem ac regulae confirmatione per Romanos Pontifices, ut tum institutionem cum ap-

¹ Praesertim intendimus scripta anno 1360 anteriora, cum ea quae posteriora sunt potius praecedentia transcribant et amplificant. Noti scriptores sunt: GUILLEMUS A SANDWICH (al. de Savico), definitor Terrae Sanctae in capitulo generali anno 1287 celebrato in conventu Montispessulano (cfr. G. WESSELS, *Acta capitulorum generalium*, I, p. 10) et incola montis Carmeli usque ad annum 1291, ut ipse testatur in sua *Chronica de multiplicatione religionis carmelitanae*; SIBERTUS A BEEK (al. de Beka), doctor s. theologiae ac professor Parisiensis anno 1316, electus prior provincialis Germaniae Inferioris annis 1318 et 1324, ac totius Germaniae annis 1327 et 1330 (cfr. WESSELS, *loc. cit.*, p. 18, 19, 24, 27, 31), mortuus anno 1332, scripsit *Considerationes super regulam ordinis Carmelitarum* (cfr. curriculum vitae apud BATHOL. M. XIBERTA, *De scriptoribus scholasticis saeculi XIV ex ordine Carmelitarum*, p. 142-148); JOHANNES A BACONTHORP, magister Parisiensis anno 1322, electus prior provincialis Angliae annis 1327, 1330 et 1333 (cfr. WESSELS, *loc. cit.*, p. 26, 31 et 32), mortuus anno 1348, scripsit quod ad nos pertinet, *Compendium historiarum et iurium pro defensione institutionis et confirmationis ordinis beatae Mariae de monte Carmeli* et *Speculum de institutione ordinis ad veneracionem Virginis Deiparae*, probabiliter circa annum 1320 (cfr. curriculum vitae ap. XIBERTA, *loc. cit.*, p. 167-194); JOHANNES A CHIMINETO, anno 1336 lector Parisiensis (cfr. WESSELS, *loc. cit.*, p. 34), scripsit *Speculum ordinis beatae Mariae de monte Carmeli*, quod reponendum videtur ante annum 1350. Ista scripta edita sunt in *Speculo ordinis Fratrum Carmelitarum*, cura magistri Baptistae Veneti de Cathaneis anno 1507 Venetiis impresso, at eorum plura adhuc extant manuscripta.

Scripta potius anonyma sunt: *Rubrica I Constitutionum tum anni 1324 auctoritate Johannis Alerii editorum* (ed. BEN. ZIMMERMAN, *Monumenta historicia carmelitana*, I, p. 20ss - Rubr. I, p. 20-21 - ex ms. Add. 16372 Musei Britannici), cum anni 1357 auctoritate Petri Raymundi ab Insula editorum (ed. ANTOINE-MARIE DE LA PRÉSENTATION, *Constitutions... faites l'année 1357*, Marche 1915 - Rubr. I, p. 1-20 - ex ms. 45 bibliothecae municipalis civitatis Molinae); *De exordio ordinis beatae Mariae de monte Carmeli* et *De inceptione ordinis beatae Mariae de monte Carmeli*, Cod. Vat. Ottob. lat. 407 (saec. XV), resp. f. 3r-4v et 11-31: primum scriptum est paulo post a. 1326 editumque fuit, collato eiusdem operis (?) textu qui habetur in cod. lat. 10586 bibliothecae nation. Parisiensis, f. 19v, in *Anal. O. Carm.*, 13 (1946), p. 71-74, alterum vero scriptum est post annum 1347 editumque fuit *loc. cit.*, 8 (1932-1937), p. 179-182.

probationem carmeliticae religionis ab eius impugnatoribus adversariisque defendant atque vindicent.

Quidnam per illam « antiquitatem » intellexerint, ad nostrum non spectat argumentum, cum solummodo intendamus praecipuos referre eventus supradictae periodi luctae.

Re quidem vera, ordinis existentia dupli ex angulo subruebatur, iteratis scilicet atque indies vehementioribus paganorum insultibus in Palestina qui eo usque pervenerunt ut, anno 1291, de facto ordinem in illa regione penitus extinguerent,² et oppositione praelatorum tum in Palestina primo cum in partibus occidentalibus postquam ordo carmeliticus, anno 1238, ad has regiones transmigravit. Ast iteratae interventiones atque approbationes ecclesiasticae ipsi ordini pedententim plenum ius civitatis elargitae sunt.

Hanc oppositionem pressius inspicere lubet.

1. *Decretum concilii Lateranensis IV* « *Ne nimium religionum diversitas* ».

Ansam huic oppositioni videtur praebuisse concilium Lateranense IV quod anno 1215 ab Innocentio III convocatum fuit « pro subsidio Terre Sancte et pro statu uniuersalis Ecclesie, in quo statuta multa Ecclesiae utilia et necessaria fuerunt prouulgata ».³

Celeberrimum est eius decretum *Ne nimium religionum diversitas*, quo ad praeveniendam gravem in Ecclesia Dei confusionem inventio novarum religionum prohibita est, et statutum ut « quicumque uoluerit ad religionem conuerti, unam de approbatis assumat ; similiter qui uoluerit religiosam domum fundare de nouo, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis ».⁴

Potuitne istud decretum adduci contra ordinem beatae Mariae de monte Carmeli ? Etenim paulo ante ipsum concilium Albertus, patriarcha Hierosolymitanae ecclesiae et Sedis apostolicae legatus,⁵ suis « di-

² GUILLEMUS A SANDWICH, *Chronica*, in *Speculo* 1507, f. 38v.

³ *De inceptione*, in *Anal. O. Carm.*, 8, p. 180-181.

⁴ MANSI, *Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio*, 22, 1002. Cfr. *Corpus iuris canonici*, c. 9, X, III, 36 (ed. FRIEDBERG, II, 607) ; SIBERTUS A BEEK, *Considerationes*, in *Speculo* 1507, f. 31v.

⁵ Albertus de Castro, ex episcopo Vercellensi patriarcha Hierosolymitanus (1205-1214) ; cfr. P. MARIE-JOSEPH, *Albert de Verceil*, in *Dict. d'hist. et de géogr. ecclés.*, I, 1564-1567, et p. 18 huius fasciculi.

lectis filiis Brocardo et caeteris fratribus eremitis qui sub eius obedientia iuxta fontem <Eliae> in monte Carmeli » morabantur, « uitae formulam » tradiderat.⁶ Quidam « minus periti » affirmabant, teste Johanne a Baonthorp,⁷ non agi de regula stricte dicta, sed potius de vivendi formula vel norma. Quibus ipse Johannes respondit ut « prius discant quam loquantur, quia forma uiuendi a regula non distrahit, sed regulam diffinit », uti dicitur in decretis Gratiani : « Regula dicta est eo quod [...] normam recte uiuendi prebeat ».⁸ Ipse quoque, rem ulterius examinando, asseruit ordinem rite, vi ordinariae iurisdictionis, a patriarcha Alberto institutum fuisse, cum reservatio Sedi apostolicae hac in re primo in concilio Lateranensi habita sit, et « quod non est reseratum, intelligatur esse concessum »⁹; proindeque carmelitiae « religio et regula fuerunt in ipso concilio Lateranensi approbatae sicut et omnes religiones et regulae concilium praecedentes ».¹⁰

⁶ Prologus ad regulam ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo ; vox « Eliae » non videtur pertinuisse ad primitivum textum.

Antiquissimum testimonium de existentia regulae carmelitiae est VINCENTII BELOVACENSIS, *Speculum historiale*, I. XXX (al. XXXI), c. 123 (cfr. nota 16). Ab eius testimonio certe pendet Iohannes a Baonthorp, *Speculum*, c. 4, in *Speculo* 1507, f. 56v.

Antiquiores auctores nostri non concordant de anno quo Albertus dedit regulam : Iohannes a Baonthorp (*loc. cit.*) dicit regulam datam « ab antiquo »; auctor ignotus operis *De inceptione* (in *Anal. O. Carm.*, 8, p. 180) et *Rubrica I Constitutionum anni 1357* (ed. Antoine-Marie, p. 12) asserunt hoc factum esse anno 1160, dum Iohannes a Chiminetu (*Speculum*, c. 5, in *Speculo* 1507, f. 50v) proponit annum 1190 et Guillelmus a Sandwich atque Sibertus a Beek (resp. in *Speculo* 1507, f. 35v et 29r) loquuntur de anno 1199; *Bullarium Carmelitanum* (I, 4a) et *Bullarium Romanum* (III, 417b) ferunt annum 1171. Exinde facile intelligitur cur apud quosdam fiat mentio de approbatione regulae ab Alexandre III et ab Innocentio III : ab Alex. III quidem anno 1161 (Iohannes a Chiminetu, *loc. cit.*, f. 51r) vel anno 1170 (*De inceptione*, *loc. cit.*) — assertio *Rubricae I Constitutionum anni 1357* (*loc. cit.*), nimirum quod Alex. III regulam approbasset anno 1123 evidens mendum est —; ab Inn. III vero anno 1198 (*De inceptione*, *loc. cit.*, et *Rubr. I Constitutionum anni 1357*, *loc. cit.*, p. 13), dum hic quoque assertio Iohannis a Chiminetu (*loc. cit.*) de anno 1176 evidenter mendosa est. Ast haec omnia errores sunt.

Historiographi moderni putant Albertum regulam dedisse circa annum 1209. Cfr. p. 25 huius fasciculi.

⁷ *Compendium*, part. 4, in *Speculo* 1507, f. 52v.

⁸ C. 2, D. III (FRIEDBERG, I, 4).

⁹ *Compendium*, part. 8, in *Speculo* 1507, f. 53r. Appellat ad c. 29, X, V, 39, cuius tamen dispositio sensu universalis intelligit : ibi enim agitur de reservatione cuiusdam excommunicationis : « [...] quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse uidetur facultatem alii relaxandi ». (FRIEDBERG, II, 900).

¹⁰ *Speculum*, c. 4, in *Speculo* 1507, f. 56v. Appellat ad c. 13, X, I, 2 : « [...] quum leges et constitutiones futuri certum sit dare formam negotiis, non ad praterita facta trahi nisi nominatim in eis de praeteritis caueatur », et ad c. 2 : « Quoties uero nouum quid statuitur, ita solet futuri formam imponere, ut dispendiis praeterita non commendet [...] ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurre, quod postmodum dignum est uetus sustinere ».

Nihilominus, teste Siberto a Beek,¹¹ « quidam praelati Terrae Sanctae, in qua mons Carmeli dinoscitur existere, ceperunt ex tunc fratres nostrae religionis ita infestare ac si contra prohibitionem dicti generalis concilii nouam religionem inuenissent uel regulam approbatam non haberent. Fratres autem praedicti super hiis ad dominum Radulphum, patriarcham Hierosolymitanum, tunc recurrerunt qui et ipse, praemortuo eius praedecessore Alberto, interfuerat dicto generali concilio. Hic patriarcha [...], uisa autentica regula Alberti patriarchae edita et fratribus tradita longe (!) ante dictum concilium generale, compescuit praedictos praelatos a dictorum fratum infestatione. Ad maius autem robur praestandum dictae regulae consuluit ipse fratribus ut eam peterent a Sede apostolica approbari. Idcirco praedicti fratres successori dicti domini Innocentii, scilicet Honorio papae tertio, dictam regulam ostendentes, humiliiter supplicauerunt sibi ut eam approbaret ».

Papa Honorius III eam de facto approbavit, tertio kalendas februarias anni 1226, verbis valde sobriis :

« Vt normam uiuendi regulariter a bonae memoriae Hierosolymitano patriarcha editam, quam ante generale concilium uos dicitis humiliter suscepisse, in posterum uos et successores uestri, quantum cum Dei adiutorio poteritis, obseruetis, in remissionem uobis iniungimus peccatorum ».¹²

Nescimus utrum iste textus in eiusmodi tenore e curia pontificia exierit, siquidem *Bullarium Carmelitanum*, testans quidem de praesentia bullae authenticae in conventu Tolosano, dicit se illam una cum regula mutuatum esse ab antiquo *Speculo*, ubi reapse plures inveniuntur.¹³ Similiter *Bullarium Romanum*¹⁴ illam bullam refert addito regulae textu, quin tamen indicet fontem unde desumpsit. Hic fons non potuit esse registrum Honorii III cum in ipso non inveniatur prima approbatio nostrae regulae.¹⁵

(FRIEDBERG, II, 16 et 8). Cfr. *Compendium*, part. 8, ubi appellat ad c. un. V, 6, in VI^o: prohibetur quominus religiosi mendicantes nova loca recipient absque speciali licentia Sedis apostolicae. (FRIEDBERG, II, 1082).

¹¹ *Considerationes*, in *Speculo* 1507, f. 31v.

¹² *Bullarium Carmelitanum*, I, 1a-4a, una cum regula primitiva.

¹³ Videatur f. 29v-30r: regula; f. 31v, 60v et 74v: bulla Honorii III.

¹⁴ III, 415a-417b; videtur textum bullae desumpsisse e *Bull. Carm.*, cum eundem annum 1171 assignet pro regulae traditione.

¹⁵ Etiam, PORTHAST, *Regesta Pontificum Romanorum...*, I, 7524, videtur eam desumpsisse e *Bullario Carm.* propter assignationem eiusdem anni. Iohannes a Baconsthorpe testatur bullam haberi Londini (*Compendium*, part. 4, in *Speculo* 1507, f. 52v).

Atvero de authenticitate approbationis ab Honorio III nullum dubium moveri potest, cum Vincentius Bellovacensis, qui scripsit circa annum 1240, eius mentionem explicitam faciat. Iuvat eius testimonium hic subiungere, eo magis quod quamvis integrum textum regulae non afferrat, nihilominus primum praeceptum vitae carmelitiae, nimurum praeceptum iugis orationis, indigit, et quia, quantum sciamus, antiquissimum testimonium est de existentia regulae carmelitiae :

« Idem quoque Honorius papa regulam eremitarum fratrum habitantium in monte Carmeli, quem Helias frequentasse legitur, approbavit, et eis in remissionem peccatorum obseruandam tradidit, a uenerabili Alberto patriarcha Hierosolymitano editam.

Scilicet ut singuli singulas habeant cellulas separatas, in quibus uel iuxta quas die ac nocte in lege Domini meditentur et in orationibus uigilent, nisi aliis iustis occasionibus occupentur ; praeter nimis debiles et infirmos carnibus non uescantur, et caetera quae idem pater tradidit eis obseruanda.

Post haec successor Honorii Gregorius eandem regulam confirmauit, et ne possessiones vel redditus reciperent, districte eis prohibuit ».¹⁶

Hanc approbationem maximi fecerunt nostri auctores. Iohannes a Baconthorp, v. gr., inde argumentum desumpsit ut ostenderet insimul ordinem approbatum fuisse. Nam secundum Decretum Gratiani et Decretales, ordines et regulae approbatae a Papa in iure pro approbatis habentur ; imo religio ex tunc approbata est, quando habet regulam sibi traditam a Sede apostolica.¹⁷ Auctores nostri insuper libenter eandem

¹⁶ *Speculum historiale*, l. XXX (al. XXXI), c. 123, ed. Duaci 1624, p. 1274-1275. Toto corde gratias agimus R. P. R. Loenertz, ex Instituto historico O. P. S. Sabinae, qui nobis hunc textum aliasque notitias benevole communicavit.

Vincentius Bellovacensis est unus ex praincipiis fontibus nostrorum antiquorum auctorum. Eius auctoritas tanta est ut ignotus scriptor operis *De inceptione ad verbum transcripserit ex Vincentio compendium praecepti centralis regulae carmelitiae*, scil. « ut singulis... observanda », licet alia praecepta huic addat ; cfr. *Anal. O. Carm.*, 8, p. 180.

¹⁷ *Compendium*, part. 9 et *Speculum*, c. 4, in *Speculo* 1507, f. 53v et 57r. Appellat ad c. 4, X, I, 6 et c. 17, X, V, 31, ubi resp. auctoritas Romani Pontificis ponitur supra auctoritatem conciliorum, « cum omnia concilia per Romanas Ecclesiae auctoritatem et facta sint et robur acceperint », atque per transennam dicitur ordines et regulae Fratrum Praedicatorum et Fratrum Minorum a Sede apostolica esse approbata. (FRIEDBERG, II, 50 et 842). Item appellat ad Decretum Gratiani, c. 14, C. XXIV, q. 1, ubi refertur textus quidam S. Hieronymi ad Papam Damasum, exponentis suam fidem et concludentis : « in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et sedem tenes et fidem. Si autem hec nostra confes-

approbationem iuxtaposuerunt approbationi Fratribus Praedicatoribus et Fratribus Minoribus ab eodem Honorio III post concilium Lateranense datae, ut exinde, saltem implice, manifestarent detractores ordinis, qui qui sint, iniuste invehi contra Carmelitas.¹⁸

« Occasione autem horum uerborum, sic ulterius Sibertus a Beek, quibus Honorius papa tertius approbatione dictae regulae loquens fratribus dixit : « Quam ante generale consilium uos dicitis humiliter suscepisse », insultabant quidam praelati dicentes assertionem fratrum affirmantium se suscepisse dictam regulam ante praedictum concilium generale gestandum non esse nisi fratres legitimis documentis eam probarent. Intendebant quoque dicti praelati fratribus contra formam dictae regulae priorem absque assensu fratrum uel maioris et sanioris partis ipsorum instituere, fingentes dictam regulam approbatam non esse.

» Fratres autem coram Summo Pontifice Gregorio nono probauerunt manifeste per registrum sextidecimi anni pontificatus Innocentii papae tertii, quod dictus papa Innocentius in praedicto sextodecimo anno scripsit Alberto patriarchae Hierosolymitano ut cum nunciis apostolicis destinaret quosdam uiros prouidos et fideles ad soldanum Damasci et Babylonae, et quod si absque grandi dispendio Terrae Sanctae posset fieri, satageret praeuenire praefixum annum ad celebrandum dictum generale capitulum siue concilium, ducens secum aliquod uiros in consilio prouidos et in commisso fideles.¹⁹ Albertus uero patriarcha praedictus morte praeuentus non potuit interesse dicto generali concil*< i >*o. [...] In quo consilio interfuit Radulphus patriarcha Hierosolymitanus, sicut in eodem registro legitur ubi agitur de annotatione praelatorum qui dicto concilio interfuerunt.²⁰

sio Apostolatus tui iudicio conprobatur, quicumque me culpare uoluerit, se imperit uel maliuolum, uel etiam non catholicum, sed [non me] hereticum conprobabit ». (FRIEDBERG, I, 970). Ut patet Iohannes a Baonthorp haec dicta in sensu universalis interpretatur.

¹⁸ Cfr. IOHANNES A BAONTHORP, *Speculum*, c. 4, in *Speculo* 1507, f. 57r ; — *De inceptione*, in *Anal. O. Carm.*, 8, p. 181 ; — *Constitutiones anni 1357 Rubrica* I, § 6, ed. Antoine-Marie, p. 13.

Bullae approbationis sunt : pro Fratribus Praedicatoribus, « Nos attendentes fratres », Romae apud S. Sabinam (?), xi kal. ianuarii (22 dec.) 1226, a. p. 1 ; pro Fratribus Minoribus, « Solet annuere Sedes », Iaterani, IIII kal. dec. (29 nov.) 1223, a. p. 8. POTTHAST, I, 5402 et 7108.

¹⁹ Epist. « Pium et sanctum », VI kal. maii, a. p. 16 ; MANSI, 22, 967-968 ; POTTHAST, I, 4720.

²⁰ Cfr. HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des conciles*, V, 2^e p., 1722-1733, ubi elenches istorum praelatorum refertur.

» Ex eo ergo quod Albertus tempore dicti generalis concilii non erat, sed prius fuerat patriarcha Hierosolymitanus, et ex eo quod ipse existens patriarcha Hierosolymitanus dederat Carmelitis dictam regulam, probabatur manifeste quod Carmelitae ante dictum generale consilium suscepserant eam.

» Quapropter summo pontifici Gregorio nono humiliter supplicabant ut dictam regulam tanquam a Sede apostolica approbatam confirmaret, et ut inhiberet ne quis praesumeret priorem eius instituere absque fratribus uel maioris et sanioris partis ipsorum <assensu> ».²¹

Gregorius IX eorum supplicationi annuit et insimul finem debitum imposuit altercationi cuidam quae inter fratres exorta erat circa possessiones, domos et redditus ipsis a fidelibus in vitae sustentationem oblata, prohibens ne fratres possessiones, domos et redditus haberent aut suspicere praesumerent, « praeter asinos masculos et aliquod animalium seu uolatilium nutrimentum ».²²

2. *Regulae mutatio auctoritate Innocentii IV facta.*

« Post haec anno Domini 1238, propter paganorum insultus, compulsi sunt ab illo loco per uarias regiones mundi dispergi ».²³ Etenim, « infirmiores professores huius religionis conturbati et perterriti de frequentibus incursibus paganorum, quod patiebantur maxime in monasteriis quae erant in heremis, optabant Terram Sanctam deserere et, si fieri posset, licite ad regiones proprias unde uenerant redire », desiderantes ibi monasteria erigere « in quibus possent secure Domino Deo et eius Matri Virgini iugiter deservire ».²⁴

Re deliberata in quodam concilio fratrum habito in ipso monte Carmeli, Cipri ad insulam Cipri transfretaverunt et mansionem eorum religioni commodam in heremo Forcariae construxerunt, Siculi ad Siciliam navigaverunt et habitationem religioni congruam in suburbanis Messanae exerunt, Provinciales applicuerunt apud Massiliam et heremum vulgo dictum « Les Aygalades » sibi elegerunt. Anno autem 1240,

²¹ *Considerationes*, in *Speculo* 1507, f. 31v-32r.

²² Bulla « Ex offici nostri », Perusii, VIII idus apr. (6 apr.) 1229, a. p. 3 ; *Bull. Carm.*, I, 4a-5b ; POTTHAST, I, 8368.

²³ VINCENTIUS BELLOVACENSIS, *loc. cit.*

²⁴ GUIL. A SANDWICH, *Chronica*, in *Speculo* 1507, f. 36v.

« christianissimi milites dominus Ioannes Vescy et dominus Ricardus Grey, natione anglici, post multos actus bellicos in Palestina contra infideles strenue peractos, de Terra Sancta ad Angliam remeantes, quosdam huius religionis fratres anglicos de licentia prioris monasteri montis Carmeli secum ex deuotione ad Angliam duxerunt; quibus fratribus dominus Ioannes Vescy in silua de Holne iuxta Alnelbicu[m], et dominus Ricardus Grey apud Eylisfordiam in Cantia mansiones huic religioni commodas edificauerunt ».²⁵

Numero fratrum crescente oportuit erigere nova monasteria. At priusquam hoc praesumerent, prudente consilio ducti ad Summum Pontificem Innocentium quartum accesserunt eique rationem suae fugae e Palestina et adventus ad varias regiones occidentales exposuerunt, pententes ut dignaretur impendere favorem eis quo possent in istis regionibus multiplicare suam religionem.

Invidens tamen diabolus bono eorum operi et eorum religionis multiplicationi, « incitauit rectores et curatos parochialium ecclesiarum aduersus fratres praedictos. Qui fratres non permittebant in eorum monasteriis diuina celebrare nec sepulturam fratrum sui ordinis habere. Cumque fratres ad dominos diocesaneos pro compescendis rectoribus et curatis a grauaminibus praedictis recurrerent supplicantes eisdem ut de licentia eorum et gratia possent in locis suae religionis diuina celebrare et sepulturam fratrum sui ordinis habere, respondebant praelati quod cum haec religio esset ignota, gratiam postulatam non concederent fratribus, donec super praemissis intentionem Summi Pontificis scirent ».²⁶

Opposito profundiore habebat radices, in quantum religio Carmelitica iungebatur religionibus iamiam existentibus in diversis regionibus et videbatur, sicuti et aliae, sibi partem curae animarum, cui cleru[m] saecularis praepositus erat, velle appropriari. Aliunde regula carmelitica erat regula fratrum heremitarum, et adaptatio novis circumstantiis vitae requirebat commorationem in villis. Ordinis Superiores deputaverunt proinde duos fratres, fratrem Reginaldum et fratrem Petrum, qui necessariam mitigationem seu correctionem regulae peterent ab Innocentio IV.

²⁵ Loc. cit.; cfr. BEN. ZIMMERMAN, *Monumenta historica carmelitana*, I, p. 364-369: de adventu Fratrum in Anglia. Alnelbicus vel Alnevicus vulgo dicitur Alnewyk.

²⁶ Loc. cit., f. 37r.

Registrum Papae Innocentii IV tres habet pro anno 1247 bullas quae rem carmeliticam spectant. VI kalendas augustas scripsit archiepiscopis et episcopis ut fratres heremita sanctae Mariae de monte Carmeli ad ipsos pervenientes benigno susciperent affectu et pii favoris gratia prosequerentur, ipsis concedentes licentiam celebrandi divina et habendi liberam fratrum suorum sepulturam.²⁷ Die prima mensis octobris regulam mutatam cura duorum fratrum Ordinis Praedicatorum, scilicet fratris Hugonis a S. Caro, presbyteri cardinalis tituli S. Sabinae, et fratris Guillelmi episcopi Anteradensis in Syria, approbavit.²⁸ Tandem die 4 octobris, « aduersitatibus eorum compatiens et de multiplicatione huius religionis per cunctas fidelium partes gaudens, litteras [...] concessit per quas uniuersis christifidelibus scripsit ut dictos fratres benigne reciperent et eis de oportunis locis in quibus possent secure Domino famulari, liberaliter et caritatue prouiderent ».²⁹

Non statim tamen difficultates evacuatae sunt, et opus fuit aliis literis Innocentii IV datis idibus ianuarii anni 1252, quibus molestatores cohiebantur per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita.³⁰

²⁷ Bulla « Paganorum incursus », Lugduni, vi kal. aug. (27 iulii) 1247, a. p. 5; *Bull. Carm.*, I, 8a; POTTHAST, II, 12623.

²⁸ Bulla « Quae honorem Conditoris », Lugduni, kal. oct. (1 oct.) 1247, a. p. 5; *Bull. Carm.*, I, 8a-11a; POTTHAST, II, 12701. Haec bulla alibi in hoc fasciculo diplomatice editur.

De ista mutatione regulae primus loquitur Stephanus Salaniacensis, O.P., in quarta parte sui operis *De quatuor in quibus Deus ordinem Praedicatorum insigniuit*, quod auctum edidit Bernardus Guidonis, O.P., anno 1305. Stephanus autem erronee regulam ab Alberto Hierosolymitano traditam attribuit Aymerico patriarchae Antiocheno (1141-1193?). Videatur textus in *Anal. O. Carm.*, 3 (1914-1916), p. 370. Ipse Bernardus Guidonis loquitur de regula data ab Alberico patriarcha Hierosolymitano; cfr. L. A. MURATORI, *Rerum italicarum scriptores*, 3, Mediolani, 1723, 59b C-D.

Influxus Stephani Salaniacensis in quosdam nostros scriptores sat magnus fuit, uti v. gr., in auctorem operis *De inceptione* (in *Anal. O. Carm.*, 8, p. 179), in Ioh. a Chimineto, *Speculum*, c. 5 (in *Speculo* 1507, f. 50v) et in *Rubr. I. Constitutionum anni 1357*, § 6 (ed. Antoine-Marie, p. 11-12).

Praecipuae mutationes, teste Siberto a Beek (*Considerationes*, in *Speculo* 1507, f. 32v-33v), spectant mentionem explicitam voti castitatis et paupertatis, licentiam commorandi in villis, refectorium commune, possessiones in communione, atque temperamentum temporis silentii et abstinentiae a carnibus.

²⁹ Bulla « Cum dilecti filii », Lugduni, IV non. oct. (4 oct.) 1247, a. p. 5; *Bull. Carm.*, I, 522b; POTTHAST, II, 12711. Cfr. GUIL. A SANDWICH, *Chronica*, in *Speculo* 1507, f. 36v-37r, qui tamen hanc bullam dicit datam XII kal. iul. anni 1245; exinde quandam prae se fert confusionem in narratione eventuum illius temporis. — Pro chronologia trium bullarum Innocentii III videatur nota R. P. Gab. Couto in *Anal. O. Carm.*, 10 (1938-1940), p. 512-515.

³⁰ Bulla « Ex parte dilectorum », Perusii, id. ian. (13 ian.) 1252, a. p. 8. BERGER, *Les registres d'Innocent IV*, 3, 5563; *Anal. O. Carm.*, II (1911-1913), p. 128. Ista bulla non invenitur in *Bull. Carm.* nec apud Potthast.

Teste Guillelmo a Sandwich, qui paulo post ordinem ingressus est, has litteras postularunt fratres beata Virgine Maria Priorem generalem ad hoc movente.³¹

In posterum Summi Pontifices Alexander IV,³² Urbanus IV³³ et Clemens IV³⁴ regulam ab Innocentio IV mitigatam approbaverunt atque ordinem Carmelitarum modo speciali protegendum suscepserunt.

3. *Decretum concilii Lugdunensis II « Religionum diversitatem ».*

Nonobstante prohibitione concilii Lateranensis IV, multi adhuc exinde ordines religiosi absque licentia vel approbatione Sedis apostolicae instituti sunt. Huic rerum statui concilium Lugdunense II, convocatum anno 1274, prorsus occurrere voluit suo decreto *Religionum diversitatem*. Quod summatim sequenti modo potest referri : ordines non approbati perpetuae prohibitioni submissi sunt, approbati vero mendicantes speciali dispositioni Sedis apostolicae reservati ; exceptionem tamen patiebatur decretum pro ordinibus Praedicatorum atque Minorum, propter evidentem ex eis utilitatem ecclesiae universali provenientem ; ordines Carmelitarum atque Heremitarum s. Augustini poterant, utpote existentes ante concilium Lateranense, in suo statu permanere donec de ipsis aliter esset statutum.

Iuvat tamen afferre integrum textum :

« Religionum diuersitatem nimiam, ne confusione induceret, generale concilium consulta prohibitione uetus. Sed quia non solum importuna petentium inhibatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, uerum etiam aliquorum praesumptuosa temeritas diuersorum ordinum, praecipue mendicantium, quorum nondum approbationis meruerunt principium, effraenatam quasi multitudinem adinuenit, repetita constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cetero nouum ordinem aut religionem inueniat uel habitum nouae religionis assumat.

³¹ *Chronica, in Speculo* 1507, f. 38r.

³² Bulla « Speciali gratia », Laterani, viii id. mart. (8 mart.) 1261, a. p. 7 ; *Bull. Carm.*, I, 21 ; *POTHAST*, II, 18061.

³³ Bulla « Cum a nobis », Viterbii, xi kal. iun (22 maii) 1262, a. p. 1 ; *Bull. Carm.*, I, 27b ; *POTHAST*, II, 18334.

³⁴ Bulla « Speciali gratia », Perusii, vi kal. oct (26 sept.) 1265, a. p. 1 ; *Bull. Carm.*, I, 32a ; *POTHAST*, II, 19366.

Cunctas affatim religiones et ordines mendicantes, post dictum concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis apostolicae meruerunt, perpetuae prohibitioni subicimus et quatenus processerunt, reuocamus.

Confirmatos autem per Sedem eandem, post tamen idem concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem redditus aut possessiones habere professio siue regula uel constitutiones quaelibet interdicunt, sed per questum publicum tribuere uictum sole[n]t incerta mendicitas, modo subsistere decernimus infra scripto : ut professoribus eorumdem ordinum ita liceat in illis remanere, si uelint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admittant, nec de nouo domum aut aliquem locum acquirant, nec domos seu loca quae habent alienare ualeant, sine Sedis eiusdem licentia speciali. Nos enim ea dispositioni Sedis apostolicae reseruamus, in Terrae Sanctae subsidium uel pauperum aut alios pios usus, per locorum ordinarios uel eos quibus Sedes ipsa commiserit, conuertenda. Si uero secus praesumptum fuerit, nec personarum receptio nec domorum uel locorum acquisitione aut ipsorum ceterorumque bonorum alienatio ualeat ; et nihilominus contrarium facientes sententiam excommunicationis incurvant. Personis quoque ipsorum ordinum omnino interdicimus, quoad extraneos, praedicationis et audiendae confessionis officium aut etiam sepulturam.

Sane ad Praedicatorum et Minorum ordines, quos euidens ex eis utilitas ecclesiae uniuersali proueniens perhibet approbatos, praesentem non patimur constitutionem extendi.

Ceterum Carmelitarum et Eremitarum sancti Augustini ordines, quorum institutio dictum concilium generale praecessit, in suo statu manere concedimus, donec de ipsis aliter fuerit ordinatum. Intendimus siquidem, tam de illis quam de reliquis, etiam non mendicantibus ordinibus, prout animarum saluti et eorum statui expedire uiderimus, prouidere.

Ad haec personis ordinum, ad quos constitutio praesens exten ditur, transeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem, ita quod nullus ordo ad alium, uel conuentus ad conuentum se ac loca sua totaliter transferat, Sedis eiusdem permissione super hoc specialiter non obtenta ».³⁵

Gregorius X istam constitutionem ordini Carmelitarum communicavit litteris datis pridie kalendas apriles 1275.³⁶

Non ipse Gregorius, sed Bonifacius VIII de supradictis ordinibus, saltem de ordine Carmelitarum, providit. Postquam enim Nicolaus IV

³⁵ C. 23 : de religiosis domibus ut episcopo sint subiectae ; MANSI, 24, 96-97.

³⁶ Bulla « Unam ex constitutionibus », Lugduni, II kal. apr. (31 mart.), a. p. 4 ; *Bull. Carm.*, I, 34b-35b ; POTTHAST, II, 21010.

anno 1289 sua vice ordinem ac regulam, prout ab Innocentio IV fuit mitigata, confirmavit,³⁷ Bonifacius VIII, tertio nonas maias anni 1298, constitutionem concilii Lugdunensis et Gregorii X aliquatenus immutavit: resecavit scilicet clausulam « Donec de ipsis aliter fuerit ordinatum » et verbis « In suo statu manere concedimus » sequentia substituit: « In solido statu volumus permanere ».³⁸

Nostri auctores hanc decisionem Bonifatii VIII magni faciunt, non tantum quia ordinem consolidaverit, sed etiam quia ipse, sicut et concilium Lugdunense iam aperte declaraverat, ad hoc motus sit quia ordo existebat ante concilium Lateranense.³⁹ Libenter quoque appellant ad Decretales Gregorii IX: « Cum dicitur “ uolumus ”, perpetuae sententiae habet firmitatem »,⁴⁰ et ad interpretationem Sexti Decretalium glossatorum, videlicet Iohannis Monachi, Guidonis a Baiso et Iohannis Andreae,⁴¹ qui unanimiter affirmabant ordinem Carmelitarum ex tunc totaliter esse confirmatum.

4. *Exemptio concessa a Johanne XXII.*

Tripli actu Summus Pontifex Johannes XXII opus Bonifatii VIII complevit. Tertio idus martias anni 1317 ordinem Carmelitarum « in statu firmo, solido et stabili » permanere decrevit atque voluit, et insuper ipsi privilegium exemptionis a iurisdictione quorumcumque dioecesanorum concessit, ordinem, loca, res et personas « in ius et propriete-

³⁷ Bulla « Cum a nobis », Reate, kal. iul (1 iul) 1289, a. p. 2; *Bull. Carm.* I, 40b; POTTHAST, II, 22991.

³⁸ Bulla « Tenorem cuiusdam constitutionis », Romae ap. S. Mariam, III non. mai. (5 maii), 1298; *Bull. Carm.*, I, 48b-49b; POTTHAST, II, 24675; cfr. *Corpus iuris canonici*, c. un., III, 17, in VI⁰ (ed. FRIEDBERG, II, 1054-1055).

³⁹ Ioh. a BACONTHORP. *Compendium*, part. 9 et *Speculum*, c. 4 (in *Speculo*, 1507, f. 53v et 56v); *De inceptione* (in *Anal. O. Carm.*, 8, p. 181); Ioh. a CHIMINETO, *Speculum*, c. 5 (in *Speculo* 1507, f. 51r); *Constitutionum anni 1357. Rubrica I*, § 6 (ed. Antoine-Marie, p. 14-15).

⁴⁰ C. 15, X, V, 40 (FRIEDBERG, II, 915-916): agitur de casu speciali in quo Archiepiscopus Mediolanensis proclamans sententiam quandam dixit « Statuo et praecipio »; ista verba ex interpretatione et diffinitione Papae Coelestini III perpetuo valiture sententiae obtinuerunt firmitatem; unde potius dictum Papae Coelestini in iure admissum est ut ostendatur verbis « Statuo et praecipio » diffinitivam sententiam posse ferri. Ioh. a Baonthorp, qui ista verba adducit (*Speculum*, c. 4, in *Speculo* 1507, f. 57r), potius statutum canonis adaptat.

⁴¹ Ita Ioh. a Baonthorp et *Rubrica I Constitutionum anni 1357*, loc. cit. in nota 39. Tantummodo potuimus certiores fieri de opere Iohannis Monachi, *In sextum librum Decretalium dilucida commentaria, glossa aurea nuncupata...*, Venetiis, 1585, p. 300 a.

tatem b. Petri et apostolicae Sedis » assumens.⁴² Sexto kalendas maias anni 1319 plurimos episcopos deputavit conservatores privilegiorum ordinis b. Mariae de monte Carmeli, ut tum religiosos cum privilegia a molestiis et iniuriis ipsis extra regnum Franciae illatis tuerentur.⁴³ Tandem xi kalendas decembres anni 1326, constitutionem Bonifatii VIII *Super cathedram*, quam Clemens V in concilio Viennensi innovaverat,⁴⁴ ad ordinem Carmelitarum extendit, ita ut ipsis Carmelitis facultates in memorata constitutione Praedicatoribus et Minoribus concessae circa praedicationes faciendas, confessiones audiendas, poenitentias iniungendas, etc. concederentur,⁴⁵ ac proinde voluit « fratres dicti ordinis pares esse fratribus Praedicatoribus et Minoribus quoad omnia et equales ».⁴⁶

* * *

Breviter, antiquioribus nostris auctoribus praeeuntibus, oppositionem ad ordinem et regulam Carmelitarum decursu saeculi XIII explanavimus atque inde sequentes approbationes et confirmationes Sedis apostolicae rettulimus. Lubet per modum conclusionis ostendere quomodo Iohannes a Baonthorp probet ordinem esse approbatum iure divino et iure canonico, quin tamen nostra faciamus omnia quae ipse asserit.⁴⁷

Ordo, ait, a principio fuit confirmatus iure divino, idest divina inspiratione, quia nulla persecutione aut legis editione dissolvi potuit : « Semper enim Deo disponente in sua antiquitate processit, nec per Saracenorū persecutionem nec per leges editas contra religiosos poterat dissolui ». Et hoc fulcit dicto Gamalielis de religione christiana in Actibus apostolorum⁴⁸ : « Sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus dissolvetur : si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare videamini ».

⁴² Bulla « Sacer ordo vester », Avinione, III id. mart. (13 mart.) 1317, a. p. 1 ; *Bull. Carm.*, I, 56b-57b ; MOLLAT, *Jean XXII... Lettres communes analysées d'après les registres dits d'Avignon et du Vatican*, n. 3114.

⁴³ Bulla « Dilectos filios priorem generalem », Avinione, VI kal. mai (26 apr.) 1319, a. p. 3 ; *Bull. Carm.*, I, 58a-59b ; MOLLAT, n. 9349.

⁴⁴ *Corpus iuris canonici*, c. 2, III, 7, in Clem, ubi habetur bulla Bonifatii VIII (FRIEDBERG, II, 1161-1164).

⁴⁵ Bulla « Inter ceteros ordines », Avinione, XI kal. dec. (21 nov.) 1326, a. p. 11 ; *Bull. Carm.*, I, 66b-67b ; MOLLAT, 27104.

⁴⁶ *Rubr. I Constitutionum anni 1357*, § 7, ed. Antoine-Marie, p. 16.

⁴⁷ *Compendium*, part. 7-9, in *Speculo 1507*, f. 53r-v.

⁴⁸ *Act. Ap.*, V, 38-39.

Secundo, ordo Carmeli confirmatus est iure regulae Christi et apostolicae institutionis, quia eundem vitae modum in communi et in paupertate sibi elegerunt Carmelitae.

Tertio, fuit confirmatus iure canonico communi tum ordinariae institutionis a patriarcha Alberto antequam institutio ordinum a concilio Lateranensi reservaretur Summo Pontifici, quum ratificationis in ipso met concilio Lateranensi, cuius decretum futura respiciebat.

Tandem ordo Carmeli fuit approbatus iure canonico speciali, quia post dictum concilium eius regula a Sede apostolica agnita fuit, et ipse ordo ante et post concilium Lugdunense multoties a Summis Pontificibus fuit confirmatus sive explicite sive per transennam in bullis ordini quaedam privilegia concedentibus.⁴⁹

Romae, 1948.

FR. MELCHIOR A S. MARIA, O.C.D.

⁴⁹ Unus postea eandem argumentationem reassumet et multum amplificabit, Philippus Riboti in suo opere cui titulus *De institutione et peculiaribus gestis religiosorum Carmelitarum*, l. X, c. 5-6 (in *Speculo* 1507, f. 40r-41r). Hoc opus videtur scriptum circa annum 1380 vel et postea, cum ipse Philippus se dicat Priorem provinciale provinciae Cathaloniae (cfr. *Speculum* 1507, f. 2r) atque ad hoc munus prima vice electus sit in capitulo generali anno 1379 (cfr. G. WESSELS, *Acta capitulorum generalium*, I, p. 78), nisi fortasse triennio praecedente subintraverit demortuo Priore provinciale Raymundo Calvoni; ad idem munus altera vice electus est in capitulo generali anni 1385 (cfr. G. WESSELS, *loc. cit.*, p. 94).